

accommodati; ut ſimul & verba intelligantur, & ad pietatem Auditores excitentur.

XXXI. Synodus P. II. Mechlinienſis verbis ſuprà relatis ſubjungit: "Similiter & organa, & quæcumque inſtrumenta muſica, tam in proceſſionibus, quàm in Eccleſiis, modulatione ſua *laſcivas* cantiones non imitentur.

XXXII. Deinde capite ſequenti: "Tinnabula quoque & campanas ad harmoniam quendam pulſantes, ejuſmodi pulſatione turpes, inhoneſtas vel ſcandalofas cantiones non exprimant, vel imitentur, ſed potius hymnorum & canticorum Eccleſiæ modulationes. Et ſic ubi neceſſe fuerit, cum Magiſtrato deſuper agatur.

Idem de tinnabulis habet Synodus P. I. Cameracenſis loco citato cap. 15. addens: "Si quis non paruerit, puniatur; ut qui milis labendi occaſionem præbuerit, & in reſa cris dicata, & ſpurca & inhoneſta attulerit.

XXXIII. Denique Synodus Tridentina omnem irreverentiam à locis ſacris remotam deſiderans, præmiſſis addidit: "Item ſeculares omnes actiones, vana atque adeo proſana colloquia, exambulationes, ſtrepitus, clamores arceant: ut domus Dei verè domus orationis eſſe videatur ac dici poſſit.

Multa pro executione hujus Decreti obſervanda propoſuit S. Carolus in Concilio IV. Mediolanenſi parte 1. cap. 17. cujus hic eſt titulus: *De profano uſu à ſacris locis tollendo.*

XXXIV. Ut autem hæc omnia facilius executioni mandari queant, Synodus Tridentina vult ut Epifcopi etiam tamquam Sedis Apoſtolice Delegati corrigant, ſtanant, prohibeant, & mandent ea, quæ opportuna videbuntur; atque ad ea inviolatè ſervanda cenſuris Eccleſiaſticis, aliſque poenis fidelem populum compellant, non obſtantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac conſuetudinibus quibuſcumque.

XXXV. Verendum, ne plures Eccleſiarum Prælati in recandis abuiſibus, qui hoc titulo notati ſunt, ſegniores redantur vulgari illo, ſed admodum pernicioſo argumento: Hoc jam diu ita obſervatum fuit; hoc Prædeceſſores noſtri toleraverunt; cur nos illis volumus eſſe ſapientiores aut meliores: ſufficit nobis vivere, ut illi vixerunt.

Pernicioſum ſanè argumenti genus, quo deteſtandi, maximeque abuſus, cum ſemel invaluerint, juſtificari poterunt.

XXXVI. Nonne hoc ſpecioſo argumento jam pridem nonnulli juſtificare, ac retinere contendunt *feſtum fatuorum*; ubi videbat populus Sacerdotes & Clericos Divini Officii tempore larvatos, monſtruoſos vultibus, aut in veſtibus mulierum, aut lenonum vel hiſtrionum choreas ducere, in choro cantilenas inhoneſtas cantare, offas pingues ſupra cornu Altaris juxta celebrantem Miſſam comedere, ludum taxillorum exarare, thurificare de fumo fœtudo ex corio veterum ſotularium, & per totam Eccleſiam curere.

Ità hanc celebrationem deſcripſit Facultas Theologica Pariſienſis in epifſola Prælatiſ & Capituliſ Eccleſiarum Regni Galliæ inſcripta, & in appendicem operum Petri Bleſienſis relata pag. 782. quâ ipſos multis argumentis, ad hunc abuſum longa conſuetudine & multarum Eccleſiarum praxi inolitum, tollendum movere conatur; atque inter alia argumentum à tolerantia & factò Prædeceſſorum præveniens, tale de illo judicium deprimit: "Nolite ſubdolas hominum voces audire ſic dicentium: Prædeceſſores noſtri, qui erant notabiles viri reputati, iſtud permiferunt, ſufficit nobis vivere ut ipſi: procul dubio iſtud argumentum *diabolicum* eſt, *infernalis* hæc *perſuaſio*; vos illorum exitum ignoratis, an bonus an malus fuerit.

TITULUS VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

De variis Nominibus, Partibus, Forma & Effectu hujus Sacramenti.

1. Sacramentum olim dictum Sacramentum reconciliationis.
2. Secundo Confessionis.
3. Tertio Absolutionis.
4. Quarto frequenter manus impositio.
5. Quinto Communio seu Pax.
6. Sexto Secunda post naufragium tabula.
7. Septimo Laborioſus Baptiſmus.
8. Octavo olim & hodie frequentiffimè, Sacramentum Pœnitentiæ.
9. Quid ſignificet apud veteres etiam Ethnicos pœnitentia?
10. Qui facti ſui pœnitent, punit in ſe quod fecit.
11. Definitio pœnitentiæ à Gratiano & Canoniftis tradita.
12. Quid de hoc Sacramento habeat Decretum Eugenii IV. & quid ejus prima pars, ſive Contritio?
13. De Confessione ſecunda hujus Sacramenti parte.
14. Etiam circumſtantia peccatorum exprimenda; & quare?
15. Quare confellio præcipuè requiratur?
16. De ſatisfactione tertia parte hujus Sacramenti.
17. Ratio Divina juſtitia ex qua, ut diſſilius dimittantur peccata poſt Baptiſmum, quam ante commiſſa.

18. Juſtitia Divina non permittit, ut ordinariè ſive ulla ſatisfactione peccata remittantur.
19. Satisfactiones habent vim ſuam ex meritis Chriſti.
20. Forma hujus Sacramenti.
21. Effectus ejusdem.
22. Variæ quaſtiones circa præmiſſa, remiſſive.

I. Sacramentum hoc jam pridem diverſis nominibus appellatum fuit. Primum quidem dictum fuit Sacramentum *reconciliationis*; nimirum ab effectu; eò quòd homo virtute hujus Sacramenti Deo reconcilietur.

II. Secundo Sacramentum *confessionis*, à parte conſpicua & ante remiſſionem peccati, ſive reconciliationem neceſſaria; quâ peccator ſua peccata Sacerdoti aperire atque confiteri debet.

III. Tertio Sacramentum *absolutionis* ab actu Sacerdotis formam Sacramenti proferentis cum dicit: *Ego te absolvo* &c.

IV. Quarto antiquitus frequenter dictum fuit, *manuum impositio*, à ceremonia externa. Sæpius enim in decurſu agendæ pœnitentiæ ipſis Pœnitentibus *manus* imponebantur ab Epifcopis & Presbyteris; idque vel dum orationes ſuper pœnitentes fundebantur, vel abſolutione donabantur. Ità accipitur in *Can. 76. Concilii Carthagenſis IV.* "Si continuo creditur moriturus, reconcilietur per *manuum impositionem*.

Porro cum & in aliis Sacramentis manus impositio fieret

ret atque inde etiam nomine *manuum impositiois*, præſertim Sacramentum Confirmationis indicaretur, ne ex nominis identitate confulſo oriretur, dicere ſolebant hoc Sacramentum, *manuum impositioem reconciliatoriam*, uti videre eſt in *Can. 3. Concilii Arauſicani I.*

V. Quinto dictum fuit *Communio* ſive *Communio* & *Pax*, eò quòd lapſi per pœnitentiæ actionem & abſolutionem Sacerdotis reſtituerentur Communioni, & Euchariftiæ percipiendæ facultati, atque ad eam dignè ſumendam præpararentur.

VI. Sexto *Secunda post naufragium tabula* sæpè à Patribus vocatur; eamque nomenclaturam tamquam huic Sacramentò convenientem probavit Synodus Tridentina *Seſſ. 6. cap. 14. De juſtificatione* his verbis: "Qui verò ab accepta juſtificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus juſtificari poterunt, cum, excitante Deo per pœnitentiæ Sacramentum, merito Chriſti amiſſam gratiam recuperare procuraverint. Hic enim juſtificationis modus eſt lapſi reparatio, quam *secundam* poſt naufragium deperditæ gratiæ *tabulam* SS. Patres apè nuncuparunt.

VII. Septimò à Patribus dicitur *laborioſus Baptiſmus*; quam rursus appellationem huic Sacramento convenire dixit Synodus Tridentina *Seſſ. 14. cap. 2. De Pœnitentiâ*; rationem illius dictionis præmittens; eò quòd ad vitæ novitatem & integritatem in Baptiſmo acquiſitam, & per peccatum amiſſam, per Sacramentum Pœnitentiæ *linea* *gnis noſtris ſteſibus* & *laboribus*, divinè id exigente juſtitia, pervenire nequaquam poſſumus. Quod nuper è Patribus ſuè ac ſolidè adſtruxit Vir eruditus Joannes Optratus in ſpeciali tractatu *De Laborioſo Baptiſmo*.

VIII. Denique hoc Sacramentum & olim & hodie frequentius & ulſtatius, aptiſſimèque dicitur Sacramentum *Pœnitentiæ*, à contritione, quæ primum locum inter actus pœnitentiæ habens, dicitur animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero, uti docet Synodus Tridentina citatà *Seſſ. 14. cap. 4.*

IX. Pœnitere enim apud Latinos auctores etiam ethnicos dicimus, cum qua ipſi fecimus, aut qua de noſtra voluntate noſtroque conſilio facta ſunt, ea nobis poſt incipiunt diſſolvere, ſententiamque in iis officiis noſtram demutamus: uti latius proſequitur Morinus de Adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ *lib. 1. cap. 1.* notique, hanc eſſe vulgatiſſimam apud probatiſſimos Linguae Latine quoſque auctores ſignificationem; atque inde concludit, etiam juxta Ethnicos auctores, Pœnitentiæ duo complecti, conſilii ſive ſententiæ mutationem & animi dolorem propter factum aliquid inde conſequens.

Poſt hæc ſubjungit: Tertium addi debet, quod ex utroque neceſſariò videtur emanare, cautio ſcilicet, ne poſtea idem conſulatur, aut exequatur. Vix enim aliquem facti ſui ſeridè pœnitet, qui etiam ſibi non proponat ab eo impoſterum non abſtinere, & incommoda ex priori conſilio & factò exortientia impedire, & à ſe avertere.

Lactantius *lib. 6. cap. 24. Inſtitutionum* hæc tria ſignificata complectens ait: "Is quem facti ſui pœnitet errorem ſuum priſtinum intelligit. Ideoque Greci melius & ſignificantius *μετάνοια* dicunt, quam nos poſſumus reſipientiam dicere. Reſipit enim ac mentem ſuam quaſi ab infania recipit, quem errati piget, caſtigatque ſeipſum dementiæ, & confirmat animum ad rectius vivendum; tum illud ipſum maxime cavet, ne rursus in eoſdem laqueos inducatur.

X. Dolor autem ille, qui pœnitentiæ ſemper comes eſt ſi exardeſcit, eo animum facti pœnitentem ducit, & impellit, ut pœnas à ſe ipſis ſumat, quemadmodum ibidem notat & probat Morinus; ſubditque: "Hinc appoſitè admodum ad gemmam hanc pœnitentiæ ſignificationem, quæ omnibus auctores Eccleſiaſticis ab ipſis Eccleſiæ incunabilis familiariffima & acceptatiſſima fuit, S. Iſidorus in *Van Epen Jur. Eccl. P. II.*

„exhortatione ad Pœnitentiæ, hanc nobis tradidit illius „nominis etymologiam. *Apuntione Pœnitentiæ nomen „accepti, quaſi Pœnitentiæ, dum ipſe homo punit pœnitendo quod malè admiſit.*

XI. Et apud Gratianum *Diſt. 3. De Pœnitentiâ, Can. 4.* auctor libri de vera & falſa Pœnitentiâ ſub nomine S. Auguſtini: Continue dolendum eſt de peccato, quod declarat ipſa dictionis virtus. Pœnitere enim eſt pœnam tenere, ut ſemper puniat in ſe ulciſcendo quod commiſit peccando.

Ex his hanc definitionem à Canoniftis & Theologiſ communiter probatam elicit Gratianus: *Pœnitentiâ itaque eſt vindicta ſemper puniens in ſe quod dolet commiſiſſe.*

Hinc manifeſtum eſt, convenientiſſe hoc Sacramentum à contritione tanquam præcipuâ ſua parte, *Pœnitentiâ* nomen mutâſſe.

XII. De hoc Sacramento habet Decretum Eugenii IV. pro Armenis: "Quorum Sacramentum eſt Pœnitentiâ cuius materia ſint actus Pœnitentiæ, qui tres diſtinguntur partes. Prima eſt cordis contritio, ad quam pertinet ut deoleat de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero.

De prima hac parte latius agit Synodus Tridentina *Seſſ. 14. De Pœnitentiâ cap. 4.* declaratque quod fuerit "quavis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic *contritionis* motus neceſſarius; & in homine poſt Baptiſmum lapſo ita demum præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia divinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua, conjunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur.

Declarat præterea, hanc contritionem non ſolum ceſſationem à peccato, & vitæ novæ propoſitum & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere. Quod ibidem multis Scripturæ testimoniis confirmat.

Poſt hæc duplicem contritionem aſſerit. Unam charitate perfectam. Alteram *imperfectam*; quam & *Attritionem* nuncupat; atque utriuſque effectum exponit.

XIII. Secunda pars in Decreto Eugenii "eſt *oris Confessio*; ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo Sacerdoti confiteatur *integraliter*.

Hanc partem fuſius exponit Synodus Tridentina loco citato *cap. 5.* declarans imprimis hanc integram peccatorum confessionem à Chriſto eſſe inſtitutam, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere.

Cum enim Sacerdotes in hujus Sacramenti adminiſtratione ſuſtineant perſonam judicis, conſtat, judicium hoc incognitâ cauſâ illos exercere non poſſe, nec æquitatem quidem in pœnis injungendis ſervare poſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſis peccata declararentur. Atque hinc concludit Synodus, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcientiam habent, in confessione recenſeri, etiam ſi occultiffima illa ſint, & adverſus duo ultima Decalogi præcepta commiſſa.

Quod ipſum Judicis officium exigit, idipſum & Medici munus (quod & hic Sacerdotes ſpiritualiter exercere debent) requirit: "Si enim, ait Synodus, erubeſcat ægrotus, vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat.

XIV. Ex his rectè colligit præterea Synodus etiam eas circumſtantias in Confessione exprimendas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant, quod ſine illis peccata ſua neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec judicibus innoſcant: & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere.

XV. Quæ hoc capite Synodus pro astringenda necessitate Confessionis adducit, ostendunt, quod finis Confessionis omnium peccatorum Sacerdoti factæ, non sit sola & nuda Confessio sive revelatio peccatorum; sed remediorum morbis spiritualibus convenientium applicatio, quibus anima curationi disponatur, & disposita per reconciliationem perfecte sanetur, ut loquitur Morinus loco citato *Lib. 1. cap. 3. n. 9.* atque per consequens, omnia in Confessione esse aperienda, per quæ ipse Sacerdos tamquam Medicus spiritualis veniat in convenientem notitiam vulnerum animæ; possitque convenientia medendis vulneribus pharmaca præscribere & explicare.

XVI. Tertia pars, ait Eugenius in suo Decreto, est *satisfactio* pro peccatis secundum arbitrium Sacerdotis; quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium & eleemosynam.

De hac parte agit Synodus Tridentina citatâ sessione c. & declaratque imprimis, falsum omnino esse, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin & universa etiam poena condonetur. Perspicua enim & illustrata in sacris Litteris exempla experiuntur, quibus, præter Divinam Traditionem, hic error quam manifestissime revincitur.

XVII. Uterius dicit, quod & divinæ justitiæ ratio exigere videatur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptisimum per ignorantiam deliquerint; aliter verò, qui semel à peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono scientes, templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidant.

XVIII. Præterea monet Synodus, & Divinam Clementiam decere ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta, peccata leviora putantes, vel ut injurii, & contumeliosi Spiritui sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim magnopere à peccato revocant, & quasi frano quodam coercent hæc satisfactoriæ poenæ; cautio, resque & vigilantiores in futurum Poenitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis; & vitiosos habitus, male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque verò securior ulla via in Ecclesia Dei umquam existimata fuit ad amovendam immunitatem à Domino poenam, quam ut hæc Poenitentia opera homines cum verò animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficiamur, certissimam quoque inde artham habentes, quod si comparamur, & glorificabimur.

XIX. Ne verò videretur affectum illum humanis meritis tribuere, declarat, satisfactiones nostras & opera poenitentia omnem suam efficaciam & meritum accipere ex meritis Christi. Neque verò, ait, ita nostra est satisfactio hæc, quam peccatis nostris exolvimus, ut non sit per Christum Jesum. Facientes fructus dignos Poenitentia, qui ex illo vim habent; ab illo offeruntur Patri, & per illum accipiuntur à Patre.

Ut autem optatum effectum in peccatoribus satisfactiones à Sacerdotibus junctæ fortiantur, ipsis peccatis & personis convenientes sint oportet de quo laus infra *cap. 3. § 4.*

XX. Decretum Eugenianum post expressas tres partes hujus Sacramenti de forma ejusdem subjicit: "Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos pronuntiat, cum dicit: *Ego te absolvo*, &c.

Similiter Synodus Tridentina docet, Sacramenti Poenitentia formam, in qua præcipue ipsis vis sita est, in illis Ministris verbis positam esse *Ego te absolvo*, &c. quibus quidem de Ecclesie Sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiam, nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti Admini-

strationem sunt necessaria. Sess. 14. De Sacram. Poen. n. 1. cap. 2.

XXI. "Effectus hujus Sacramenti est absolutio à peccatis," ait Decretum Eugenianum. Et Synodus Tridentina citato *Cap. 3.* "Sanè verò & effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientia pax, serenitas cum vehementi Spiritus consolatione consequi solet.

XXII. Plurimum circa singulas supra numeratas Sacramenti partes, tum circa formam, effectumque quaestiones à Theologis Scholasticis agitantur, quas, utpote à proposito meo alienas Theologis relinquo; pluresque à Veteribus ignotas, & à Recentioribus moveri cæptas recitat Morinus *Lib. 8. cap. 2. § 4.*

CAPUT II.

De Publica, solemnî & privata Poenitentia.

1. Quid Poenitentia publica?
2. Pluribus seculis pro peccatis occultis poenitentiam publicam impositam fuisse credit Morinus; & primum hujus argumentum.
3. Secundum Morini argumentum.
4. Tertium ejusdem argumentum.
5. Quartum argumentum.
6. Pro peccatis occultis poenitentia tametsi publica, non tamen publicè imponebatur; nec Poenitens publicè reconciliabatur.
7. Simples Presbyteri poterant inconsulto Episcopo peccatores occultos reconciliare.
8. Utrumque probatur ex Concilio Carthaginensi III.
9. Peccator occultus per censuras ad agendam publicam poenitentiam cogi non poterat.
10. Plures nullius gravioris criminis rei ultero poenitentiam publicam amplectebantur.
11. Magna veterum de utilitate poenitentia publicæ estimatio.
12. Ex impositione poenitentia publica pro peccatis occultis non sequebatur infractio sigilli.
13. Circa seculum VIII. disciplina imponendi poenitentiam publicam pro peccatis occultis cepit desinere.
14. Sentim hæc disciplina mutata fuit.
15. Postquam pro peccatis occultis cepit agi Poenitentia occulta, adhuc magnus erat Poenitentium numerus; & quare?
16. Per censuras aliaque media publici peccatores ad publicam poenitentiam cogebantur.
17. Multis seculis poenitentia etsi occulta ad Canonum Poenentialium præscriptum imponebatur.
18. Usque ad seculum XII. non fuit nota distinctio inter publicam & solemnem poenitentiam.
19. Hujus distinctionis origo.
20. Quæ hodie dicatur poenitentia solemnî: & quæ publica & quæ privata.
21. Plura olim omni poenitentia publicæ competentia ad solemnem restricta.
22. Primò quod à solo Episcopo imponeretur.
23. Secundo quod semel dumtaxat imponi posset.
24. Tertio quod qui eam egerant à Clericali dejecterentur, aut ad illum promoveri non possent.
25. Poenitentiam publicam à solemnî distinctam à Presbytero imponi posse docent Canonistæ.
26. Publicam poenitentiam pro peccatis publicis imponendam esse multis ostenditur.
27. Id ipsum probavit Synodus Tridentina.
28. Conformia sunt hodierna Ritualia & Concilia.

29. Qua-

29. Qualiter hodie debeant Presbyteri Poenitentiam publicam imponere pro peccatis publicis?
30. Qualis esse debeat species Poenitentia publicæ?
31. Poenitentiam solemnem ab Episcopis etiam hodie Ecclesia imponi optat.
32. Quid circa hæc statuerit Carolus?

I. Publica Poenitentia dicitur, quæ in facie Ecclesie palam & publicè peragitur.

Hanc primis sex seculis unice ferè impositam fuisse notat Morinus *lib. 4. De Administratione Sacramenti Poenitentia cap. 2. §. 5.* nullamque ante seculum septimum usum fuisse, ait, Poenitentia privata Canonice; cum omnia crimina graviora Poenitentia publica punirentur, minus gravia Sacerdotis arbitrio & consilio.

II. Publicam hanc Poenitentiam etiam pro peccatis occultis primis sex seculis juxta Sacros Canones actam, & à Sacerdote, cui peccatum secretò detectum fuerat, impositam fuisse, contendit Morinus *libro 5. capite 9.* idque tribus potissimum argumentis ex antiqua disciplina eruditus.

Primò, quia certum est, poenitentias Canonibus illorum temporum expressas, & pro singulorum criminum gravitate præscriptas, fuisse poenas publicas, easque palam in facie Ecclesie peragendas: cumque in Canonibus illis nulla occurrat publicorum ab occultis criminibus distinctio; sed indifferenter crimina exprimentur, indicium est, de utrisque Canones illos indifferenter quoque intelligendos esse.

III. Secundum argumentum ex veteri disciplina erutum ita proponit Morinus: "Sequitur antiquos Patres de publicis criminibus curam tantum gessisse, de occultis verò nullam. Si enim Canones illi de peccatis publicis intelligendi sunt, de occultis homicidiis, fornicationibus, &c. nulli amplius supersunt. Atqui crimina ejusmodi sexcenta perpetrantur occultè, dum unum aut alterum publicè deprehenditur. Consequeretur igitur gravissimum morum animi morborum sanationem antiquos Patres profusè neglexisse; quod cogitare nefas est, nedum dicere. Si Poenitentia rationem tantum haberent poenarum, tolerari forsitan hoc posset. Verum cum medicamentorum rationem potissimum induant, hancque rationem Patres præ cæteris spectent, dici non potest ulcerum tam pestiferorum nisi publicè & in propatulo serperent, quod quam rarissimè, & vix contingit, curationem deseruisse, suisque deque habuisse, & de levibus tantum venialibusque peccatis sanandis curiosos fuisse & sollicitos.

IV. Tertium argumentum Morini hoc est: "Si crimina quis sponte enuntiasset, minori tempore in Substrazione, Auditione &c. commoraturum, quam si accusatus & convictus esset. Plerique enim Canones, & Patrum pleraque dicta hanc legem Reis criminum dicant, cuius rei testimonia multa legere potes *lib. 2. cap. 6.* Si crimina ponas publica pro specie istarum legum explananda, quæ ratio fingi potest istius temperamenti? si crimen publicum est, jam convictio per se facta est. Ipsa facti, ut ita dicam, notorietas, convictioni æquivaluit. Delatus tergiversari non potest. Imò ne delatore quidem opus habet Episcopus, cum ponatur crimen publicum & notorium; sed monitore, ac ne monitore quidem: cum eo casu Episcopus sola mueris peragendi conscientia stimulatus publicum peccatorem, & resipiscentem Poenitentia castigare possit.

V. His argumentis plura ex Sanctis Patribus testimonia eandem disciplinam astringentia subjicit Morinus ibidem *cap. 9.* & sequentibus; & denique *cap. 11.* speciale argumentum desumit ex Canonibus, qui Clericos in crimen quantumvis occultum lapsos non modo ab officio suspendebant; sed etiam deponebant, ita ut per aliquot seculorum spatia, Van Espen *Jur. Eccl. P. II.*

ab omni spe restitutionis deicerentur: Non video, ait, quæ ratione idem de publica Laicorum Poenitentia dici non debeat. Si consulendum honori & famæ, id sanè factum potius oportuit Clericis, quam Laicis.

VI. Non differtur tamen Morinus, multiplicem fuisse inter poenitentiam publicam impositam pro peccatis publicis, & eandem impositam pro peccatis occultis.

Pro peccatis publicis ac notoriis, quæ totam Ecclesiam commovebant, manus imponebantur ab Episcopo vel Presbytero publicè in medio Ecclesie ante absidem, hoc est in gremio navis Ecclesie. Absis enim vel absida est sanctuarium Ecclesie. Eaque manus impositio eo ritu fiebat, tam in poenitentia impositione, quam poenitentis absolutione, seu reconciliatione.

Dum verò occulta erant crimina, necesse non erat, publicè in medio Ecclesie per manus impositionem poenitentiam imponere; aut poenitentem actâ poenitentia publicè reconciliare: sed sicuti peccata illa secretò Sacerdoti aperiabantur, ita quoque secretò poenitentia imponebatur, & reconciliatio fiebat.

VII. Hinc altera consequeretur differentia; quod publicè poenitens ob crimen occultum, actâ poenitentia, secretò posset inconsulto Episcopo à Presbytero reconciliari. Secus verò poenitens ob peccatum publicum. His enim cum non nisi publicè reconciliari posset, etiam sine speciali Episcopi licentia (nisi extrema necessitas Licentiæ petendæ tempus intercluderet) à Presbytero reconciliationem obtinere nequibat. Interdictum enim erat Presbyteris, poenitentem publicè reconciliare.

VIII. Utrumque non obscure indicat Canon. 32. Concilii Carthag. III. qui in duas partes divisus refertur à Gratiano *caus. 26. q. 6. Can. 14. & q. 7. Can. 5.* verba Canonis sunt: "Ut Poenitentibus secundum differentiam peccatorum Episcopi arbitrio poenitentia tempora decernantur, & ut Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet poenitentem: nisi absentia Episcopi necessitate cogente. Cuiusmodi autem Poenitentis publicum & vulgissimum crimen est, quod universam Ecclesiam commoverit, ante absidem manus ei imponantur.

IX. Altera differentia eaque notabilis erat. Cum publicum erat peccatum ad agendam publicè poenitentiam peccatores excommunicatione & omnimoda ab Ecclesia expulsionem cogi poterant. At quum peccatum erat occultum, Poenitentia publica actio erat spontanea, hoc est, ad eam cogi non poterant ullâ excommunicatione, aut Sacramentorum publicâ denegatione. Peccatori equidem ejusmodi secretò confitenti, nisi Poenitentiam Canonicam agere vellet, reconciliationem secretò denegabat Sacerdos, sed quod ultra in eum ageret, nihil habebat.

X. Neque verò soli occultis gravium criminum rei publicam poenitentiam sibi à Sacerdotibus secretò impositam & indictam spontaneâ quadam voluntate suscipiebant, & publicè cum aliis poenitentibus, etiam graviorum criminum reis peragebant; sed & leviorum dumtaxat aut nullorum criminum sibi confitenti, eam ultro amplectebantur; quemadmodum notat Morinus *lib. 5. cap. 7.*

XI. Ex hac praxi deducit ibidem Morinus, quanta fuerit de Poenitentia publicæ utilitate Veterum estimatio. Verba ejus sunt: "Quanta fuerit antiquitus Poenitentia publicæ estimatio, quam efficax auxilium ad dolorem de peccatis concipiendam, & de his remissionem obtinendam, afferre judicata sit, nullo mihi videtur illustriore argumento demonstrari posse, quam eâ consuetudine, quæ præsertim in Hispania viguit, illius sponte suscipienda & agenda, nulla præcedente criminum atrocium conscientia, nullâ criminum publicorum, aut occultorum confessione publicâ, nedum convictione.

XII. Hinc ulterius deducitur, Poenitentiam publicam pro peccatis occultis potuisse sine ullo sigilli confessionalis periculo imponi & peragi. Ipsa enim Poenitentia impositio secretò à Sacerdote fiebat; & publica Poenitentia actio erat

H 3

etiam